

418

416

422

412

427

407

467

367

317

Ende

Anfang

403

ivit, deosculata ibi sui filii vestigia. Ab hac in templum Domini ascendit, et orationibus ibi fusis ab alia parte templi reexivit et ad portam auream venit, ibique ingressum filii sui in die palmarum contemplata fuit, per quam ut exiit, in vallem Josaphat descendit, et in ea preces pro toto genere humano fudit, quatenus securi astare tremendo judicio mereantur. Sciebat enim, quod in illo judicio nullae preces, nec suae, admitterentur. Ideo praeoccupabat ibi judicem precibus; quo facto transivit torrentem, et locum suae propriae sepulturae secum euntibus ostendit, et specum ingressa ineffabili gaudio replebatur, pro eo, quia sciebat, quod in hoc loco primo perfectae fruitionis gaudium esset habitura, et stolam gloriae animae et corporis ibi induenda, et de hoc saeculo nequam eripienda, et super choros angelorum exallanda etc. Deinde sepulchrum relinquens, et parum sursum tendens, specum intravit, in qua Dominus Jesus trina vice in maxima anxietate existens oravit; ibi et ipsa agoniae suae memor genua flexit ad vestigia genuum filii sui, diutius et devotius in oratione perstitit. Demum hortum et praedium Gethsemane ingressa loca captivationis filii sui deosculabatur. Ab hoc loco a valle se avertit et ecclesiam montis Oliveti petit. In loco autem, ubi Dominus Jesus slevit videns civitatem, et ipsa se contra civitatem vertit, ejusque calamitates miserabili gemitu et compassione deflevit. Et inde ascendens in Galilaeam montem et villulam venit, ibique gloriam resurrectionis filii sui contemplabatur, et gaudium discipulorum. Finita ibi oratione venit ambulans in jugo montis ad locum, ubi, quando ultima die peregrinabatur, angelus ei apparuit praenuntians ei instare emigrationis tempus. Ab hoc loco progressa venit ad locum ascensionis filii sui, et ibi impressa saxo manifesta (B) vestigia sacra devotissime deosculabatur. Et quia locus ille erat suae actuali devotioni singulariter proportionatus, aliquando citius eum reliquit, ut post diutius immorari posset, et festiva ab alia parte montis Oliveti descendit, et per Bethphage in Bethaniam venit, visitans ibi notos, et loca, in quibus filius suus commoratus fuerat, domum Marthae, et sepulchrum Lazari, et habitaculum Mariae Magdalene, et domum Simonis leprosi. Quibus visitatis rursum alta repetiit,

26 *

